

— 2 —

τιναρίος εἰσὶ οἱ τέσσερες διατάξεις. (Επιλογὴς Ἐπιτομῆς, παραγγελίαι τοῖς μητρικοῖς λόγοις, λαβεῖσα διατάξεις ταύτην την παραγγελίαν την πατρικήν.) IV. οἶκος οὐδὲ αὐθίκη τιναρίος εἰσὶ μόνοι τοις τιναρίοις αλλαγαῖς αὐτοῖς ταῖς παραγγελίαις ταῦτα μηδὲν αἴσθεται μᾶλις μάχης βασιλευόμενος.
DE

PARTIBUS FORMISQUE QUIBUS TRAGOE-
DIAM CONSTARE VOLUERIT ARISTOTELES.

Δεῖ δὲ καὶ δταν ὄνομά τι ὑπεναντίωμα τι
δοκεῖ σημαντεῖς ἐπισκοπεῖν, ποσαζώς ἀν ση-
μαντεῖς τούτο ἐν τῷ εἰρημένῳ.
Arist. Poet. XXV, 15.

Aristoteles in Poeticae exordio totius operis consilium ac rerum tractandarum ordinem paucis proponit. Ac primum quidem de arte poetica universa, deinde de singulis eius artis generibus ita se disputaturum ait, ut uniuscuiusque generis et vis ac facultas et perfecta mythorum compositio et partium formarumque numerus ac natura (*ἐκ πόσων καὶ ποιῶν ἔστι μορίων*) ostendatur; simili autem ratione cetera quoque, quae eiusdem sint disciplinae, se explicaturum profitetur. Quaenam philosophus dicat *μόρια*, inter viros doctos a Robortelli et Victorii aetate ad hunc usque diem fuit dissensio. „Significari Aristoteles, ait Victorius¹⁾, partes quantas (hoc nomine appellat *μέρη*, quae cap. XII. describuntur) verbo *πόσων* qualesve (partes dicit, quae cap. VI. explicantur) illo quod consequitur *ποιῶν*, ut interpres acceperunt, videndum est. Ipse namque puto prius illud nomen positum esse ad numerum tantum partium indicandum sive illae quantae sive quales sint; posteriori vero communiter itidem pertinere ad vim naturamque earum omnium ostendendam.” Idem fere Castelvetrus²⁾ et ex recentioribus interpretibus Hartungius³⁾ de his *μορίοις* sentiunt, nisi quod ille tragoeiae quoque implicationem et solutionem (*δέσιν* et *λέσιν*) in *μορίων* numero refert, hic insuper etiam addere videtur tragoeiarum formas. Alii, ut Heinsius, Thyrwittus, Hermannus, Graefenhanus, quam ipsi sententiam voci *μορίον*

1) In comment. in libr. Arist. de Poet. p. 2 Florent. 1560.

2) In Poet. d'Arist. p. 10 seq. Basil. 1576.

3) In libro, qui inscriptus est: Lehren d. Alten über d. Dichtkunst, p. 1 et p. 113—137.

subiiciant, non indicarunt. Spengelius¹⁾ denique, Ritterus²⁾, Dünzterus³⁾ de solis cogitant partibus, quae capite VI. enumerantur. Ad quam dissensionem quum illud accedat, quod de locis ipsis, quibus μόρια illa explicantur vel memorantur, non solum maxime discrepant interpres, sed veram etiam Aristotelis mentem nondum satis perspexisse mihi videntur: non ab re erit diligentius retractare totam Aristoteleam de tragediae μορίοις doctrinam. Quia in disputatione nec volui nec potui propter angustos limites huic scriptioni constitutos ita versari, ut ubique diversas virorum doctorum sententias percenserem ac di-indicarem, sed maximam partem id potissimum spectavi, ut universam viam, qua philosophus hoc libello procedit, brevius describerem et scriptoris usum loquendi ac cogitandi accuratius explorarem.

Generali de arte poetica disputatione absoluta (cap. I — V) Aristoteles ad tragicae poesis naturam describendam progressus primum tragediae ponit definitiōnem; tum ex iis, quae tragicī poematis exhibent οὐσίαν, elementa eruit vel partes (μόρια, μέρη), in quibus posita est propria tragediae vis et natura (cap. VI). Tragīcorum enim et comicorum poetarum secundum Stagiritam est proprium, agendo, non narrando, perficere imitationem (*πράττοντες πιούνται τὴν μίμησιν*⁴⁾; ex quo efficitur, oculis cerni actionem, quam imitantur. Prima igitur tragicī carminis pars neces-

1) In Act. Acad. Monac. a. 1837, p. 225.

2) In comment. in Arist. Poet. p. 76.

3) In libro, qui inscriptus est: Rettung der Aristotel. Poetik, p. 19.

4) Poetas dramaticos, quos vocant, ex Aristotelis mente non solum eos qui agunt (*πράττοντας*) imitari, sed dum in imitatione versentur ipsos agere (*πράττοντες μιμούνται*), ex initio cap. III. luce videtur clariss., quamvis omnes fere interpres aliter sentiant. Sic philosophus cap. III, 3: ἐν τοῖσι δὴ ταῦταις διαφοραὶ ἡ μίμησις ἔστιν, ὡς εἴδουμεν καὶ δέχασθε, τὸν τοῦτο καὶ ταῦτα ὡς i. e. tribus igitur his differentiis cernitur imitatio, ut ab initio (cap. I, 3) diximus, et instrumentis quibus imitatio fit (ἐν οἷς) et rebus quas imitantur poetæ (καὶ ἀ) et modo quo imitationem perficiunt (καὶ ὡς). Ex quibus scriptor haec colligit: οὐτε τῇ μὲν δὲ αὐτῷ ἀντί την μίμησις Ὀμήρῳ Σοφοκλῆς, μιμούνται γὰρ ἄμφω σπουδαῖον. Sophoclem, poetam tragicum, confert cum Homero, epico poeta, eumque similem esse dicit Homeri, quatenus uterque σπουδαῖον imitatur; itaque ratione habita rerum quas imitantur (ἀ) int̄ se consentiunt poetæ tragicī et epicī, diversus est modus quo imitantur (ώς). Τῇ δέ, pergit Aristoteles, Λοιποφάνετ, πράττοντας γὰρ μιμούνται καὶ δοῶντας ἄμφω. Quo enuntiato significatur id quod tragicī et comicī poetæ est proprium. Atqui non proprium est Sophoclis et Aristophanis eos qui agunt (*πράττοντας*) imitari, quum idem videlicet faciat poeta epicus (cap. II, 1: μιμούνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας); ergo ratione habita imitandi modo (ώς), qui est idem apud tragicū et comicū poetam (τῇ δὲ δὲ αὐτῷ ἀντί την μίμησις Ἀριστοφάνει Σοφοκλῆς), Aristoteles nihil aliud scribere potuit nisi πράττοντες γὰρ μιμούνται καὶ δοῶντας ἄμφω et paullo post ὅτι μιμούγεται δοῶντες.

saria, quae ex tragœdiae definitione elicetur, ὄψις est vel ὕψεως κόσμος i. e. ea carminis tragicī indoles, ex qua in scena potest repraesentari (ἐπεὶ δὲ πράττοντες ποιῶνται τὴν μίμησιν, πράττον μὲν τές ἀνάγκης ἢ εἰη τι μόδιον τραγῳδίας ὁ τῆς ὕψεως κόσμος cap. VI, 4.). Similiter autem audiiri ea necesse est quae poeta ante oculos exhibet; ergo duae aliae partes necessariae accedunt, utpote quae sint instrumenta, quorum ope imitatione efficitur (εἴτα μελοποία καὶ λέξις ἐν γὰρ τούτοις ποιοῦνται τὴν μίμησιν). Iam vero tragœdia quoniam consistit in imitatione actionis cuiusdam, quae in conspectum venit per eos qui agunt quicque pro animi mentisque natura certam ac propriam habeant oportet agendi et cogitandi indolem: quarta et quinta tragœdiae pars necessaria est διάνοια et ἡθος (cap. VI, 5: ἐπεὶ δὲ πράξεως εστὶν ἡ μίμησις, πράττεται δὲ ἐπό τινων πραττόντων, οὐς ἀνάγκη ποιούσι τινας εἶναι κατά το τὸ ἡθος καὶ τὴν διάνοιαν, πέρονεν αὕτα δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοια καὶ ἡθος). Denique universus complexus factorum eorumque compositio ac tenor est μῆθος. „Necesse est igitur — sic partium numerum cogit Aristoteles cap. VI, 7 — cuiusque tragœdiae sex sint partes, ex quibus certam ac definitam naturam nanciscatur tragœdia. Hae autem sunt: μῆθος et ἡθη et λέξις et διάνοια et ὄψις et μελοποία. Nam quibus instrumentis imitantur (poetae tragicī) partes sunt duae (λέξις et μελοποία), quo modo imitantur, una est pars (ὄψις), quae imitantur, tres partes sunt (μῆθος, ἡθη, διάνοια) et praeter eas alia nulla est pars. Atque his quidem partibus ad naturam tragœdiae pertinentibus (τούτοις τοῖς εἰδέσιν) eorum i. e. poetarum haud pauci, ut ita dicam, sunt usi; namque ὄψις habet unaquaque tragœdia et ἡθος et μῆθος et λέξις et μέλος et διάνοια similiter; maxima vero ex his partibus est factorum compositio.”

In hac tragœdiae partitione, qua philosophus primum genus persequitur μορίων, quorum tractationem in operis initio est pollicitus, nonnulla insunt, quae ab aliis alter explicantur vel etiam ab Aristotelis manu esse aliena iudicantur. Itaque in locos controversos accuratis inquiramus.

Ἀνάγκη οὖτε, ait scriptor, πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι τές, καθ' ἀ ποιά τις εστὶν ἡ τραγῳδία. Quibus verbis Aristoteles tragœdiae principium et quasi causam efficientem (καθ' αὐτὸν) inesse dicit in necessariis illis sex partibus, ita ut ex iis, tamquam ex fonte, tragicum carmen propriam ποιήσηται nanciscatur. Ποιότητος autem notio princeps in eo cernitur, ut peculiarem rei naturam definit atque vim 1). Quocirca partes illae sunt διαφοραί, quae, notionis complexum, quem dicunt logici, efficientes, cum genere i. e. cum μιμῆσι μεράς εἰσιν σπουδαῖας coniunctae definitam poesis speciem, scilicet tragœdiām constituant 2).

Nomen μέρος igitur hoc loco ad qualitatēm ita refertur,

1) Cf. Arist. Met. IV, 14 p. 1020 b 14: πρώτη ποιήης ἡ τῆς οὐσίας διαφορά. Ib. p. 1020 a 33: τὸ ποιὸν λέγεται ἡ διαφορά τῆς οὐσίας. Ib. IV, 28 p. 1024 b 5: γένος, οὐ διαφοραι λέγονται αἱ ποιήητες. Top. IV, 2 p. 122. b 16: οὐδεμία διαφορὰ σημαίνει τι εστιν, διὸ μάλιστα ποιέντες.

2) Cf. Met. VI, 12 p. 1038 a 8: φανερὸν ὅτι ὁ δρισμός εστιν ὁ ἐκ τῶν διαφορῶν λόγος. Top. I, 8 p. 103 b 15: ὁ δρισμός ἐγένετο καὶ διαφορῶν εστιν.

ut indicet notas, quae sunt notionis partes secundum ea, quae leguntur in Met. IV, 25 p. 1023 b 23: τὰ ἐν τῷ λόγῳ τῷ δηλοῦντι ἔκαστον καὶ ταῦτα μέροια τοῦ δόου. Quod autem non simpliciter dicit ποιά, sed ποιά τις, in eo nihil aliud agit Aristoteles, nisi ut significet singulares ac proprias differentias¹⁾, quibus collatis in unum, tragœdia sejuncta sit a ceteris poesis generibus²⁾, ita ut ubi in poemate vel potius in μητήσει πρᾶξεως σπουδαίας illae partes, ibi sit tragœdia, et ubi vera tragœdia, ibi illae partes.

Quae proxime sequuntur nihil habent quod offendat. Quamquam imprimis torsit viros doctos enuntiatum: τούτοις μὲν οὖν οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν ὡς εἰπεῖν κέχονται τοῖς εἰδεσιν, καὶ γὰρ ὅπιν ἔχει πᾶν καὶ ἡθος καὶ μῆθος καὶ λέξιν καὶ μέλος καὶ διάνοιαν ὁσαντών μέγιστον δὲ τούτων et quae sequuntur. De hoc loco, quem alii sensu destitutum, alii ab aliena manu insertum esse dicunt, singulorum interpretum opiniones repetere nolo, sed meam qualemque sententiam expromam. Ac primum quidem, quod ad sententiarum contextum attinet, scriptor hoc enuntiato institutam disputationem componens ad novam transit disputandi materiam, id quod adhibitis particulis μὲν οὖν sequente δέ indicatur; his enim particularis summan eorum, quae iam exposita sunt, colligens ad aliam progreedi consuevit philosophus disquisitionem. Deinde verba τούτοις τοῖς εἰδεσιν manifesto respiciunt ad μέρη modo explicata atque accurati definiunt, quae dicat μέρη Aristoteles; latius enim patet μέρος quam εἶδος, ita quidem ut omnia εἶδη dici possint μέρη, at non omnia μέρη sint εἶδη. Significantur autem nomine εἶδη eae partes, quae, ut iam dixi, propriam tragœdiae naturam exprimunt vel notae, ex quibus conficitur notionis descriptio³⁾. Reliquum est ut verba οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν ὡς εἰπεῖν, quae maximaee fuerunt offensioni, explicemus. Aristoteles quum dicit αὐτῶν, aperte intelligit μημονευοὺς i. e. poetas, qui ex antecedente verbo μημονηται cogitatione sunt supplendi; quod ita perspicuum est, ut verbo monuisse sufficiat. Deinde dictioνi οὐκ ὀλίγοι, quae κατὰ λιτότητα proprie significat plerosque, formula ὡς εἰπεῖν necessario additur, quia hoc loco οὐκ ὀλίγοι vere plus valent, quam ipsa verba significare videntur. Etenim haec formula — quae plerumque in eiusmodi enuntiatis, quibus aliquid vel affirmatur universe vel negatur, adiicitur vocibus numerum designantibus — eam habet vim, ut vocabulum,

1) Sic Met. III, 3 p. 1005 b 1 σοφία τις significat scientiam certis finibus circumscriptam. Cf. ib. III, 2 p. 1003 b 33: ὅπερ ὄν τι. Ib. IX, 4 p. 1055 b 3: ἢ δὲ στέφοντις ἀντίφαστι τις λέγεται. Cat. X p. 12 a 38: στέφοντις γέρος τις ἢ τυράννος ἐστιν.

2) Cf. Met. IX, 8 p. 1058 a 7: λέγω γάρ γένους διαφοράν ἐπερδίητα ἢ ἔτερον ποιεῖ τούτο αὐτό.

3) Cf. Phys. ausc. II, 3 p. 194 b 29: τὰ μέρη τὰ ἐν τῷ λόγῳ. De part. anim. I, 3 p. 643 a 24: τοιι δὴ θατηροῦ τὸ εἶδος ἐν τῷ ὑλῃ. Met. VII, 2 p. 1043 a 19: ξοῖς γάρ διὰ τῶν διαφορῶν λόγος τοῦ εἶδους εἶναι. Ib. VI, 7 p. 1032 b 1: εἶδος δὲ λέγω τὸ τι γνέλλαι ἐκάστου. Prorsus eadem sententia subiecta est τοῖς εἰδεσιν. Poet. IV, 11; dicit enim scriptor hoc: Ac quaerere quidem, utrum tragœdia, quod ad partes attinet quibus propria eius natura continetur atque vis (τοῖς εἰδεσιν), omnibus numeris iam sit absoluta necne, sive tragœdiam tantummodo legas, sive in scena repraesentatam videoas, alius est disputationis.

cui est adiecta, non suo ac proprio significatu accipendum, sed cogitatione aliquid esse vel demendum vel addendum moneat. Utrum hoc sit an illud, ex tota cuiusque loci sententia intelligitur.¹⁾ Iam vero Aristotēlem hoc loco non de plerisque poetis tragicis, sed de omnibus ac singulis cogitare quum satis ex eo appareat, quod, una alterave illarum partium adempta, tragœdia consistere omnino non potest, tum plane ex iis patet, quae explicandi causa sunt adiuncta: *καὶ γὰρ ὅφει πᾶν ἔχει* et quae sequuntur. Ex quo haud dubie efficitur, ut scriptor in addenda formula *ως εἰπεῖν* non augere modo voluerit multitudinis notionem, sed gravius etiam et per ironiam quandam id quod in animo illi est asseverare, ita quidem ut dictio *οὐκ ὀλγοί ως εἰπεῖν* idem fere exprimat atque *ὅλως* vel *ἄπλως* *ἄπλατες*. Denique quod ad adiectivum *πᾶν* attinet, facile ex loci sententia cogitatione suppletur nomen *δράμα* vel generis notio, quae proleius specie i. e. tragœdia in scriptoris mente est²⁾.

Hucusque igitur ea cōgnovimus *μόρια*, quibus complexus, quem vocant, notionis carminis tragicī (*τοῦ λόγου μέρη*) et peculiaris natura formaque, qua tragœdia id est quod est, explicatur. Iam vero Aristoteles, postquam mythum esse primariam tragœdiae partem pluribus confirmavit argumentis ceteraque quid valeant partes bréviter ostendit (cap. VI, 9—19): ad definitionem tragœdiae respiciens accurate ea deinceps describit, in quibus mythi posita est omnis vis et natura. Etenim in mytho necesse est insit quum *ὅλότης*, *τελευτῆς*, *μῆκος εὐμημόνευτος*, tum unitas vel *μία πρᾶξις*. Hinc autem alia consequitur qualitas, ex quā a poeta qualia possunt fieri ita sunt effingenda et oculis subiicienda, ut fieri ea veri est simile vel necessarium (cap. VII—IX, 10 p. 1451 b 32).

Quibus expositis, ex mythis universis, sive ab ipso poeta inventis sive traditione acceptis recteque conformatis³⁾, quales sint deterrimi qualesque pulchriores paucis in-

1) Prioris generis exempla haec adscribo: de part. anim. I, 3 p. 643 b 4: *πάντα γὰρ ως εἰπεῖν*, *ὅσα ἡμερα καὶ ἄγρια τυγχάνει ὄντα.* Ib. I, 1 p. 639 a 8: *τοῦτον περὶ πάντων ως εἰπεῖν* *χριτικόν* *τινα* *κομίζομεν εἶναι.* Phys. ausc. VIII, 3 p. 253 a 32: *τὸ μὲν οὐν πάντι ἡρεμεῖν* — *οὐ μένον πρὸς τὸν φυσικὸν, διλλὰ πρὸς πάσας τὰς ἐπιστήμας ως εἰπεῖν.* Pol. II, 5 p. 1263 b 4: *φύλοσοι πάντες ως εἰπεῖν* *ἔραστοι, τῶν τοιούτων.* Met. I, 1 p. 980 a 25: *τὸ* *ἔραν* *αἰρούμεθα* *ἀντὶ πάντων ως εἰπεῖν* *τῶν ἄλλων.* Exempla alterius generis, ubi numerus augetur, haec sunt: Phys. ausc. I, 7 p. 190 b 35: *ώστε οὔτε πλεῖστος τῶν ἐναντίων* *αἱ δοχαὶ* *τρόπον* *τινά,* *διλλὰ* *μέν* *ως εἰπεῖν* *τῷ ἀριθμῷ, οὐτι* *οὐ παντελῶς* *μέν* — *ἄλλα* *τροις.* De part. hom. anim. II, 7 p. 652 b 23: *καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἔντιμα* *ἔχει πάντα* *ἔργα αλον, τῶν* *διῆλλων* *οὐδὲν* *οἰκος* *ως εἰπεῖν*, *πλὴν* *οὐτι* *κατὰ τὸ ἀνάλογον.* Met. III, 5 p. 1010 a 30: *αὖτις οὐθὲν ως εἰπεῖν* *οὐρανοὶ μόριοι* *τοῦ παντός* *ἔστιν.* Quibus addo exemplum Platonicum, quod legitur in Hipp. mai. 285 C: *ἔχεινων γε ως έσος εἰπεῖν* *πολλοῖ* i. e. permulti.

2) Cf. Poet. XII, 1: *κοινὰ μὲν ἀπάντων* *ταῦτα.* Ib. XVIII, 7: *κατοικεῖτε διαφέρετε* *ἡ ἐμβόλιμα* *ταῖς* *ἔρεσι* *ἡ* *ἔρεσι* *τοῖς* *ἄλλοι* *εἰς* *ἄλλο* *ἔρμοττειν.*

3) Sic recte significasse mihi video sententiam, quae subiecta est verbis *τῶν ἀπλῶν μέθων* (c. IX, 7, 11 p. 1451 b 33). Aristoteles videlicet expositionem, quam capite IX. instituit, sic fere colligit §. 9: Poeta igitur non sit eo poeta, quod verba includit versibus, sed quatenus ipse my-

dicatur. Quia divisione transitum parat philosophus ad enarrandas mythorum species et partes (cap. X et XI). Generis autem formae ex differentiis inter se oppositis oriuntur ($\pi\tau\alpha\ \chi\epsilon\rho\sigma\ \tau\omega\zeta\ \lambda\alpha\tau\iota\mu\delta\eta\eta\mu\epsilon\tau\alpha\zeta\ \delta\tau\alpha\phi\eta\zeta\alpha\zeta\ \delta\tau\alpha\iota\phi\eta\zeta\alpha\zeta$ Top. VI, 6 p. 143 a 36). Atque actionum ($\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$), quarum imitationes sunt mythi, differentiae extremae, sibi invicem oppositae, sunt $\alpha\pi\lambda\alpha\eta\zeta\eta$ et $\sigma\mu\pi\lambda\alpha\eta\zeta\eta$. Ergo ex hoc divisionis fundamento, quod logici dicunt, recte duae mythi species ducuntur, scilicet mythus simplex et implicatus, vel id quod continuo ab Aristotele in utriusque formae definitione additur $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ mythus $\lambda\alpha\zeta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\alpha\pi\gamma\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ et mythus $\mu\pi\zeta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\alpha\pi\gamma\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\alpha\pi\phi\eta\zeta\zeta\eta\eta$. Ita scriptor ad explicandas deducitur duas mythi partes, $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ et $\alpha\pi\gamma\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$, quae aut singulae aut coniunctae mythum constituant implexum. Tertiam autem iis adiungit partem, $\pi\alpha\theta\zeta\eta$, quod aequo ac duae priores partes est mythi differentia specifica mythumque efficit $\pi\alpha\theta\zeta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$. Quae mythi species medium obtineat locum necesse est inter simplicem et implicatum, quippe qui in eodem genere plurimum inter se differant maximeque distent ($\pi\pi\alpha\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\pi\pi\alpha\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ Met. IX, 4 p. 1055 a 33), ita ut haec mythi diversitas neutram in partem superari queat. Hac in mythi partium divisione num ternarius numerus sit plenus ac perfectus necne, Aristoteles hoc loco non certo constituit; simpliciter enim „duae igitur, ait cap. XI, 6, mythi partes, quod ad ea attinet de quibus nunc agitur, sunt $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ et $\alpha\pi\gamma\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$, tertia autem est $\pi\alpha\theta\zeta\eta$ ”, neque eiusmodi formulam addit, quem invenimus cap. VI, 7: $\kappa\eta\ \pi\pi\alpha\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\tau\alpha\pi\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$. Sed tamen $\alpha\pi\lambda\alpha\eta\zeta\eta$ et $\sigma\mu\pi\lambda\alpha\eta\zeta\eta$ talia sunt contraria, ut praeter $\pi\alpha\theta\zeta\eta$ alteram etiam differentiam medianam non excludant. Verum ad hanc rem infra revertetur oratio; nunc restat, ut, quae intercedat ratio inter tria mythi $\mu\eta\eta\eta$ et sex partes, quae $\tau\eta\ \pi\pi\alpha\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ vel principium tragoeidiae constituant; paucis indicetur. Totum autem discrimen in eo positum est, ut partes, quae capite VI. explicitantur, propriam definiant formam, quam tragica poesis induit $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$, $\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ contra et $\alpha\pi\gamma\eta\eta\pi\eta\zeta\zeta\eta\eta$ et $\pi\alpha\theta\zeta\eta$ mythi ambitum, quem vocant, constituentes prout adsunt vel absunt — nam nec necessario nec semper in mylbo insunt — diversas procreant mythi

thum sive invenit sive traditum acceptumque recte conformat (cf. cap. XIV, 5 p. 1453 b 25 : *αὐτὸν δὲ τοποτελεῖς δεῖ καὶ τοῖς παραδεδομένοις χρῆσθαι κακῶς*). Quodsi eveniat, ut, quae traditione accepit, arte conformet, nihilominus est poëta, quandoquidem poëta est per μίμησιν. Cui mythi distinctioni deinde alia adiungitur differentia, quae pariter eadit in mythum a poëta mere confictum atque in eum, cuius argumentum sumptum est ex fabularum cyclo. Dicit igitur verbis τοῦ δὲ ἀπλοῦ μάθων hoc : Ex omnibus autem mythis, nulla discriminis, quod interest inter mythum inventum et traditione acceptum, habita ratione, deterrimi sunt episodicis, e. q. s. Sic de gen. et corr. I, 3 p. 317 b 4 et 33 τοῖς γένεσις et γένεσις κατὰ μέρος opponitur ἀπλῆ γένεσις (cf. Biese, Philos. des Arist. I p.54 not.). Itaque ἀπλοῦ h. l. illam habet vim; qua adverbium ἀπλῶς usurpari nemo ignorat. Quod autem praeterea adiectivum ἀπλοῦ est vocabulum artis poeticae proprium, id ipsum huius loci intelligentiae attulit impe-

¹³ Cf. Met. VII, 10 p. 1035 b 34: τοῦ λόγου μέρη ταὶ τοῦ εἴδους μόνον ἔστιν. Phys. ausec. I, 7 p. 190 a 16: τὸ γάρ εἶδει λέγω καὶ λόγῳ τυπώμενον.

species. Nam vero quoniam μῦθος, sicut ipsa tragœdia, μίμησις πρᾶξεως vocatur atque in ipso mytho omnis tragœdiae cernitur vis ^D, sane non est eur mireris, quod tres mythi partes easdem philosophus ipsius tragœdiae partes esse dicat; sed nihilo minus toto genere disiunctae sunt ab iis tragœdiae partibus, οἵ τις εἰδεῖ δεῖ χρῆσθαι.

Quibus verbis ad vexatissimum Poeticae delati sumus caput, quod plures interpres vel ab ipso Aristotele vel ab hoc loco alienum esse censuerunt. Mihi quidem in accurata hac externarum dramatis partium descriptione nihil inesse videtur, propter quod summo philosopho ab iudicanda sit.

Primum enim nihil afferunt, qui rem, quae hic tractatur, ab arte poetica abhorrire atque adeo Stagirita haud dignam esse contendunt. Imo vero ad Poeticae rationem ea quae capite duodecimo continentur ita sunt apposita, ut, quod recte monet Knebelius, Aristoteles officio suo defuisse, si tragœdiae mythique partibus κατὰ τὸ ποιόν non adiunxisset ποσότητος descriptionem. Quid? quum in libelli exordio dicit: ἔτι δὲ λέγουμεν, ἐξ πόσου καὶ ποίων ἔστι μορίων ἔχαστον εἶδος, nonne item tragœdiae μορία κατὰ τὸ ποιόν, ut eas partes, quae internam tragicī carminis naturam declarant, se descriptum profitetur? Porro autem, quod ea res hoc ipso loco traditur, id praepostere fieri credere noli. Aristoteles enim inde a capite septimo mythi rationes consecutur universas, ac proprias quidem mythi qualitates cap. VII—IX, species cap. X, partesque cap. XI exponit. His vero partibus non inepte adiuncta esse videtur externarum tragœdiae partium descriptio, quippe qua expositio, quam philosophus universe instituit de mytho, absolvatur. At hanc descriptionem dicunt nimis esse iejunam et aridam. Est simplex sane ac iejuna, nec tamen minus apta philosophi consilio, qui nihil aliud spectet, quam ut externarum partium nomina enumeret simpliciter eorumque vim et potestatem ex linguae usu aperiat (*τί σημαίνει Anal. post. II, 7 p. 92 b 26* ^D). Quam definiendi iejunitatem vel potius simplicitatem haud facile quisquam ad scholiastas auctores referre velit, qui eos longe minutius eiusmodi definitiones tractare noverint. Denique quod sententiarum et verborum obscuritatem, ambiguitatem, negligentiam queruntur VV. DD., vereor ne isti peculiare Stagirite dicendi genus haud satis respexerint atque suas temere susceptas opiniones Aristoteleis verbis admiscuerint. Hanc in rem satis habeo attulisse,

1) Cf. Poet. VIII, 4: τὸν μῦθον, ἐπει πρᾶξεως μίμησις ἔστιν. Ib. IX, 8: δῆλον οὐν διτ τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἴναι δει ποιητὴν ή τῶν μέτρων. Ib. VI, 14: αρχή μὲν οὖν καὶ οἷον πυχὴ δι μῆδος τῆς τραγῳδίας. Ib. VI, 10: δι μῆδος τέλος τῆς τραγῳδίας. Itaque μῆδος principium est tragœdiae componendae; partes autem principii necessere est operis effecti i. e. tragœdiae sint partes.

2) Simili fere explicandi ratione utitur, quum Eth. Nic. II, 7 p. 1108 a 19 περὶ μὲν τὸ ἀληθές, ait, δι μὲν μέτρος ἀληθής τις καὶ ή μεσότης ἀληθεῖται λεγέσθω, ή δὲ προστολήσις ή μὲν ἐπὶ τὸ μετρόν ἀλαζονεῖται καὶ δι ἔχων αὐτὴν ἀλαζών, ή δ' ἐπὶ τὸ ἀκαττον εἰλωνεῖται καὶ εἰσων. Item vel liberius in Poet. VI, 5 λέγω δέ, inquit, μελοποιῶν δι τὴν δύναμιν γανεράν ἔχει πᾶσαν.

quae praeclare Naekius, de aliis quibusdam Arist. Poet. locis disputans¹⁾: Obscuritas ista, inquit, digna est, ex qua latenter scriptoris sapientiam eruamus, et praestat Aristotelis negligentia multorum diligentiae.

Iam accedamus ad explicandum huius capituli initium, quo tertium μογίων genus ita inducitur: „Atque tragediae μέρη, quibus quidem ut partibus ad propriam tragici carminis naturam pertinentibus (ὧς εἰδεστι) uti oportet, supra enumeravimus; partes autem secundum quantitatem et quidem loco separatae, in quas tragedia dividitur, hae sunt: prologus, episodium, exodus, choricum; atque hoc aut parodus est aut stasimum. Atque ea quidem sunt communia omnium, singulorum autem propria ac peculiaria sunt quae ex scena cantantur et committuntur.”

Μέρη δὲ τραγῳδίας, οἵς μέν εἰναι et quae sequuntur. Particula δέ, quum μέν non antecedat, ad novum transiri indicat disputandi argumentum. Quum enim Aristoteles modo tractaverit mythi partes, quae eadem latiore significacione partes tragediae dici possunt, iam nunc, ut transitum paret ad alia tragediae μόρια describenda, illas partes, quae capite VI. sunt explicatae, in memoriam revocat simulque dedita opera codem quo illic utitur εἰδη vocabulo. Quocirca duplēcēt habent oppositionem verba „μέρη δὲ τραγῳδίας, οἵς μέν ὡς εἰδεστι δέ τραγῳδία”. Primum enim, ut particula δέ ostendit, partes (*εἰδη*), quibus semper et ubique tragicum poetam uti oportet, oppositae sunt mythi partibus, quae non necessario in unoquoque mytho inveniuntur; tum particula μέν declarat, partibus, quae sunt εἰδη, opponi quantitatis partes, quas hoc capite explicaturus est scriptor. Partitio igitur κατὰ τὸ ποιόν facta opponitur et divisioni κατὰ τὸ ποιόν et descriptioni κατὰ τὸ ποσόν. Quod autem dicit πρότερον εἴπομεν, in iis nihil aliud designatur, nisi hoc: partes illae supra (cap. VI, 4—8) enumeratae sunt. Neque vero ex his verbis tractationem illarum partium, quod plures voluerunt interpres, iam antea absolutam esse sequitur; utitur enim Aristoteles accusativo μέρη, quum alibi dicere soleat περὶ μερῶν.

Κατὰ δέ τὸ ποσόν καὶ εἰς ἀ διαιρεῖται κεχωρισμένα. In his verbis tertium designatur μογίων genus, partes dico secundum quantitatem constitutas²⁾, in quas loco separatas dividitur tragedia. Particula καὶ, ut saepe apud Aristotelem³⁾, ex-

1) Vid. Naekii opusc. philol. I, p. 94. Praeterea cf. Spengelii iudicium, quod tulit in Act. Acad. Monac. a. 1837 p. 222 de Arist. dicendi genere in Poetica.

2) Cf. Met. IV, 25 p. 1023 b 12: μέρος λέγεται ἥντα μὲν τρόπον εἰς ὁ διαιρεθεῖ ἄν τὸ ποσόν διωσοῦν. Ib. VI, 10 p. 1034 b 32: πολλαχῶς λέγεται τὸ μέρος, ὃν εἰς μὲν τρόπον τὸ μερόν γε κατά τὸ ποσόν.

3) Cf. Anal. post. I, 8 p. 75 b 22: φατερόν—ὅτι ἀνάγκη καὶ τὸ συμπεράσματα δίδιον είναι τῆς τοιαύτης ἀποδεῖξεις καὶ τῆς ἀπλοῦς εἰπειν ἀποδεῖξεως. Top. VIII, 11 p. 161 b 27: ταῦτα δ' εἴη χειρῶν τῶν ἑρωηθέντων καὶ ἡτον ἔρδοις τοῦ συμπεράσματος. Met. IV, 1 p. 1013 a 7: ἡ δέ (ι. ο. ἀρχή) ὅθεν γίγνεται πρώτον μὴ ἐνυπάρχοντος καὶ ὅθεν πρώτον η κίνησις πέριπτετ ἀρχεσθαι. Ib. IV, 14 p. 1020 b 3. XI, 7 p. 1072 b 21.

plicandi vim habet; nam quae sequuntur „εἰς ἡ διαιρεῖται κεχωρισμένα” quaeque sunt opposita antegressis „οἵς μὲν ὡς εἴδεσι δεῖ χρῆσθαι”, accuratius definiunt, quae universe modo sunt dicta *κατὰ τὸ ποσόν*, partesque describunt, quae non, ut illa *εἰδη* tragœdiae, simul eodem loco esse possunt (cf. Arist. de anim. III, 6 p. 430 b 14).

Κοινὰ μὲν ἀπάντων ταῦτα, ἕδια δὲ τὰ ἀπὸ σκηνῆς καὶ κόμματα.
 Pronomen *ταῦτα* plures viri docti spectare contendunt ad parodum et stasimum ideoque enuntiatum ita accipiunt, ut scriptor chorici partes dicat esse *κοινὰς ἀπάντων*. Quod qui volunt, iidem totum enuntiatum: *κοινὰ μὲν ἀπάντων ταῦτα, ἕδια δὲ τὰ κτλ.* ad choramicum referant oportet; unde necessario efficeretur, ut *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* chorici genus esset. Atqui *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* nihil ad chorum pertinere, sed cantica esse, quae a solis histrionibus in scena peragebantur, iam satis appareat ex hac commi definitione: *κόμματα* δὲ θρῆνος *κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*, ubi verbis *ἀπὸ σκηνῆς* designantur histriones. Ergo pronomen *ταῦτα* non ad parodum et stasimum, sed ad omnes, quae modo dictae sunt, partes spectat, ad prologum, episodium, exodus, parodum, stasimum ¹⁾). Has igitur quinque partes Aristoteles dicit esse communes *ἀπάντων* i. e. omnium tragœdiarum vel potius dramatum, de quibus h. l. disseritur. Deinde vocabulo *κοινὸν* oppositum est *ἴδιον* i. e. singularum tragœdiarum proprium. Eadem autem ratione Aristoteles voces *κοινά* et *ἴδια* adhibet in Phys. ausc. III, 1 p. 200 b 21, quum dicit: *δῆλον οὖν ὡς διὰ — τὸ πάντων εἶναι κοινὰ καὶ καθόλου ταῦτα πᾶστ, σκεπτέον προχειρισμένοις περὶ ἐκάστου τούτων. ἔντερα γὰρ η̄ περὶ τῶν ἑδίων θεωρίᾳ τῆς περὶ τῶν κοινῶν ἔστιν* ²⁾). Neque minus ad hunc dicendi usum illustrandum valet Rhet. II, 22 p. 1396 b 12 seqq.; quemadmodum enim ibi Achillis et Diomedis et ceterorum Graecorum principum communem (*κοινόν*) esse ait Aristoteles hominis militisque notionem, proprium contra (*ἴδιον*) Achillis, quod Hectorem interficerit: simili fere ratione prologus, episodium, exodus, parodus, stasimum communia sunt omnium tragœdiarum, commi autem et cantica ex scena singularum propria.

Iam philosophus postquam generatim mythi naturam, formas, partes eaque membra descriptis, quibus tragœdiae continetur divisio externa: ad speciales de componendo

1) Sic recte hunc locum interpretati sunt Heimsoeth. in eo libro qui inscriptus est „vom Vortrage des Chors” p. 96, Däntzer. in Vindiciis Poet. Arist. p. 55, Knebel. in Versione Poet. Arist. p. 324, Thyrwitt. in edit. Poet. p. 120, Victorius in comment. in Poet. p. 113. A vera autem Stagiritae mente plus minus aberrarunt Hermannus in comment. in Poet. p. 131, Waldaestel. in commentatione de trag. Gracc. membris p. 3, Firnhaber. in Zimmerm. Ephem. antiqu. a. 1839 p. 678, Ritter. in comment. in Poet. p. 165, Geppert in libro, cui titulus: Altgriech. Bühne p. 216, L. Schmidt. in disput. de parodi notione p. 6 et 9.

2) Cf. Anal. post. I, 32 p. 88 b 27. De anim. II, 9 p. 421 b 17. Phys. ausc. I, 7 p. 189 b 31.
 De part. anim. III, 1 p. 662 a 19.

mytho praceptiones se convertens ³⁾ primum quae rerum in tragodia gerendarum compositio (*σύνθεσις τῆς κακλίστης τραγῳδίας*) qualesque homines artis legibus maxime respondeant exponit (cap. XIII); deinde qua ratione miseranda timendaque recte excitentur et quot modis timor ac miseratio ex rerum complexione oriatur accurate tradit (cap. XIV).

Mythi autem pertractione absoluta ⁴⁾ scriptor ad secundam transit tragodiae partem necessariam (*ἡθη*) atque cap. XV. ea praecipit, quae in moribus personarum agentium conformandis observanda sint. Primum enim ut personae rem per se honestam ratione ac consilio persequantur (*ἡθη χρηστά*) postulat, deinde ut sui cuique personae aptique tribuantur mores (*ἡθη ἀρμόττοντα*), tertio ut mores veram exhibeant vitae imaginem (*ὅμοιος ηθη*), quarto ut mores totam per tragodium sibi constent (*ἡθη ὁμοία*); nec minus denique in moribus effingendis poeta id anquirat, quod veri sit simile vel necessarium.

Quibus expositis priusquam reliquarum partium tractationem aggrediatur, commodum esse putat Aristoteles, varia inserere praecepta, imprimis ad pertexendam mythi compositionem et ad viam rationemque pertinentia, qua poeta tragodium omnibus numeris absolutam conficiat ⁵⁾. Et primum quidem in *ἀναγράψαιν*, praecipuam mythi partem, diligenter inquirens varios agnoscendi modos enumerat ac diuidicat (cap. XVI); deinde poetis suadet, ut mythum quam maxime fieri possit oculis suis subiiciant totumque personarum agentium habitum omnesque gestus corpore exprimant (cap. XVII); tum breviter enarrat, quid in tragedia sit implicatio (*δέσις* vel *πλοκή*) et solutio (*λύσις*), quaeque inter eas ratio intercedat. Hoc loco denuo revocamus ad alia tragodiae μόρια, ad species dico (*τὰ εἰδη τοῦ γένους φασὶν εἶναι μόρια* Met. IV, 25 p. 1023 b 18), in quas tragodiae ambitus, quem vocant, dividitur. „Tragodiae autem species, ait Aristoteles cap. XVIII, 2 p. 1455 b 32, sunt quattuor, tot enim etiam partes dictae sunt: una quidem implicata, cuius natura atque vis ⁶⁾ posita est in peripelia et agnitione, altera pa-

1) Cap. XIII, 1: *ἄντει δὲ στρατιώταις καὶ ἄντει εὐλαβεῖσθαι συνιστάντας τοὺς μάθους καὶ πόθεν ἔσται τὸ τῆς τραγῳδίας ἔχον, ἐφεξῆς ἀντεῖ λεπτέον τοῖς νῦν εἰρημένοις.*

2) Cap. XIV, 11: *περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν πραγμάτων συστάσεως καὶ ποτους τινὰς εἶναι δεῖ τοὺς μάθους εἰρηται ἴχανος.*

3) Insertis capitibus XVI, XVII, XVIII prorsus perturbari continuum disputationis ordinem permulti contendunt interpretes. Non recte, opinor. Nemo enim non videt, generatim et universe servari ab Aristotele partium designatarum seriem; sed in huius modi rebus tractandis, qualia sunt poeticae artis praecipita, eam veniam concedi scriptori atque libertatem par est, ut nonnunquam membrorum ordinem parumper intermitat; praeterea aliud est de rei alicuius vi ac natura agere, aliud quomodo res conficiatur et pertexatur dedita opera praecipere, id quod suo iure in his capitibus egisse censendus est Aristoteles.

4) *Tὸ δὲν* idem fere significat quod *εἶδος* i. e. ea causa, quae efficit, ut tragodia implicata definitam induat naturam. Cf. Met. IV, 25 p. 1023 b 20: *τὸ δὲν, ἢ τὸ εἶδος ἢ τὸ ἔχον τὸ*

thetica, ut Aiaces et Ixiones, tertia moralis, ut Phthiotides et Peleus, quarta autem species, ut Phorcides et Prometheus et quaecunque in Orco."

Multum in verbis *τοσαῦτα γάρ καὶ τὰ μέρη ἐλέχθη* explicandis desudarunt interpres. Et Robortellus quidem, ut ex Spengelii annotatione cognovi, *μέρη* ab Aristotele dici arbitratur *περιπέτειαν, ἀναγνώσιον, πάθος*: Victorius (l. c. p. 176 seq.) parum sibi constans nunc *περιπέτειαν, ἀναγνώσιον, πάθος, ἡθος*, nunc *μῆθον, ἡθος, διάνοιαν, λέξιν* intelligit: Hermannus (l. c. p. 128 seq.) *περιπέτειαν, ἀναγνώσιον, πάθος, ἡθος*; Spengelius (l. c. p. 250) *μῆθον, ἡθος, διάνοιαν, λέξιν*, Hartungius (l. c. p. 137) cum Rittero (l. c. p. 136 et 211) *πρόλογον, ἐπεισόδιον, ἔξοδον, χορούόν*, Duntzerus (l. c. p. 76) *περιπέτειαν* cum *ἀναγνώσιοι*, *πάθος, ἡθη, δψιν* cum *μελοπούῃ* interpretantur *τὰ μέρη*. Primum autem dubium esse non potest, quin Aristoteles, id quod et *γάρ* particula et articulo *τὰ* indicatur, in *μέρεσι* quibusdam ante dictis inesse voluerit quadripartitae tragediarum divisionis principium; deinde ad *μέρη* ex antegresso enuntiato genitivus *τραγῳδίας* cogitatione haud dubie est supplendus: unde consequitur, ut ex tragediae partibus quibusdam existere quattuor eius species contendat scriptor. Atque partes, quae iustae sunt tragediarum *εἰδοποιοὶ διαφοραί*, non solum ex una eademque re, quae ad peculiarem tragediae naturam spectat¹⁾, repetenda sunt, sed etiam aliquid oppositum habere²⁾ simulque ita comparatae esse debent, ut diversam mythi *δέσιν* et *λύσιν* efficiant, adeo quidem ut vel in diversis argumentis, ubi una eademque pars (*διαφορά*) adhibetur, eadem exoriatur tragediae species; nam „*δίκαιον*”, ait Aristoteles cap. XVIII, 3 καὶ *τραγῳδίαν ἄλλην καὶ τὴν αὐτὴν λέγειν οὐδὲν ἴσως τῷ μέθῳ, τοῦτο δὲ ὅν γέ αὐτῇ πλοκὴ καὶ λύσις.*

Hisce divisionis legibus neque quattuor illae secundum quantitatem partes (*κατὰ τὸ ποσόν*) respondent, utpote quae nihil prorsus attingant tragediae qualitatem (*ποιότητα*³⁾), neque magis hoc pertinent quas posuit sex partes *κατὰ τὸ ποτόν*, quae, quum ipsam tragici carminis notionem constituant et cum unaquaque specie necessario sint coniunctae, nullo pacto per se efficere possint tragediae formas. Quae quum ita sint, nullae relinquuntur aliae partes nisi *περιπέτεια, ἀναγνώσιος, πάθος, mythi* partes, quas supra vidimus easdem appellari posse partes tragediae.

Atque ex his partibus, quae, quoniam *περιπέτεια* et *ἀναγνώσιος* coniunctae pro una *διαφορά* sunt habendae, duas formant mythi differentias specificas, quattuor tragediae species existunt, quandoquidem utraque harum differentiarum aliquid oppositum (*αντιδιηρημένον τι*) habet. Nam ex *περιπέτειᾳ* et *ἀναγνώσει*, sive separatim sive

εῖδος. Ib. IV, 2 p. 1013 b 22: *τὸ ἔλον καὶ ἡ σύνθεσις καὶ τὸ εἶδος. Eandem vim habet τὸ συνέλον* Poet. I, 2 p. 1447 a 16 et *σύντον* cap. XXIV, 2 p. 1459 b 16.

1) Cf. de part. anim. I, 3 p. 613 a 27: *Ἐτι διαφέτιν χρὴ τοῖς ἐν τῇ οὐσίᾳ. Top. VI, 6 p. 143 a 29: πάλιν ἐπὶ τῶν διαφορῶν ὅμοιως σχετίσοντες εἰ καὶ διαφοράς εἴλε τοῦ γένους.*

2) Cf. Top. VI, 6 p. 143 a 34: *ὅπα δὲ δεῖ καὶ εἰ τοῖς ἀντιδιηρημένον τι τῷ εἰρημένῳ διαφορᾷ.*

3) Cf. Top. VI, 6 p. 144 a 21: *δοξεῖ γάρ ποιέντες τι πάσσα διαφορὰ δηλούσσει.*

coniunctim adhibentur, exoritur mythil συμπλοκή, prima ac praecipua tragoeiarum differentia, quae, si ad genus i. e. μῦθον accedit, tragoeiam efficit πεπλεγμένην. Cui differentiae privatione perfecta (τελείᾳ στερησει) opposita est mythi ἀπλότης, quae alteram formal tragoeiae speciem, cuius naturam Hermannus recte dicit positam esse in absentia περιπετειας et ἀναγνωρίσεως; nam „quod privatione continetur, id non per se, sed eo ipso, quo privatum est, cognoscitur“¹⁾. Nomen autem huius formae, quarto loco ab Aristotele positae, — sive omissum est librariorum incuria sive, quod veri est similis, Aristoteles hanc speciem exemplis illustrasse satis habuit, — ἀπλοῦ esse appetat ex cap. XXIV, I, ubi leguntur haec: ἔτι δὲ τὰ εἰδη ταῦτα δεῖ ἔχειν τὴν ἐποπούαν τῇ τραγῳδίᾳ ἡ γὰρ ἀπλῆν ἡ πεπλεγμένην ἡ ἡθικὴν ἡ παθητικὴν δεῖ εἶναι. Quibus verbis scriptor haec addit: καὶ τὰ μέρη, ἐξω μελοποίας καὶ ὄψεως, ταῦτα· καὶ γὰρ περιπετειῶν δεῖ καὶ ἀναγνωρίσεων καὶ παθημάτων h. e. easdemque habere debet epopoeia partes, nimirum ex quibus quattuor quae modo enumeratae sunt species proficiscuntur; nam et peripetii opus est et agnitionibus et atrocibus malis; verba autem „ἐξω μελοποίας καὶ ὄψεως“ inter partes alius generis liberius et audacius interposita sunt.

Sed redeo ad tragoeiae divisionem. Quum quartae formae natura in perfecta ac plena cernatur privatione differentiae specificae, ex qua prima species derivatur: inter implicatam tragoeiam et simplicem, sicut inter album colorem et nigrum, quaedam mediae intercedunt species (τὰ μεταξύ cf. Arist. Categ. X p. 12 a 10), quae neque simplices neque implicatae, sed plus minus oppositae illis sunt simulque ex differentiis sibi invicem oppositis existunt. Eiusmodi autem medianam differentiam specificam supra cognovimus esse πάθος, quod arctiore sensu refertur ad exitiosas tantum mutationes, ad vulnera, mortem, summos corporis dolores²⁾, qualia παθήματα in Iliade ponuntur in conspectu³⁾. Huic differentiae, ex qua tragoeida pathetica deducitur, oppositum est (ἀπτιδιηρημένον τι) ἡθος, quod pariter ac πάθος arctioribus finibus circumscripsit ad animi tantum dolores respicit atque tragoeiam ethicam fingit, in qua, sicut in Odyssea⁴⁾, virtutes morales (ἡθικαὶ ἀρεταὶ) oculis subiiciuntur.

1) Vid. Trendelenb. comment. in Arist. de anim. libr. III, 6 p. 430 b 23. Cf. Met. VIII, 2 p. 1046 b 14. Secundum Aristotelem duo sunt principia inter se contraria, quae formant materiam: τὸ εῖδος et ἡ στέρησις τελείᾳ. Met. IV, 2 p. 1013 b 12: δὸς γὰρ παρὸν αἴτιον τουδί, τοῦτ' αὐτὸν αἰτιώμεθα οὐτούτοις οὐκ εὐαγγίτοις. Phys. ausc. II, 1 p. 193 b 19: καὶ γὰρ ἡ στέρησις εἰδός πάσι ἔστιν. Praeterea cf. de part. anim. I, 3 p. 643 b 30: λέγω δὲ ἀπλᾶ μέν, έαν μὴ ἔχῃ διαφοράν, συμπεπλεγμένα δέ, έαν ἔχῃ.

2) Cf. Poet. XI, 6: πάθος δέσπι πράξις φθαρτικὴ ἡ ὁδυνηρά, οἷον οἵ τε τῷ φανερῷ θάγατοι καὶ αἱ περιωδυτικαὶ τρώσεις καὶ θόσα τοιαύτα. Met. IV, 21 p. 1022 b 19: πάθος λέγεται — αἱ βλαβεραὶ ἀλλοιώσεις καὶ κινήσεις καὶ μάλιστα αἱ λυπηραὶ βλαβεῖς. Εἴτι τά μεγέθη τοῦ συμφορῶν καὶ λυπηρῶν πάθη λέγεται. Eth. Nic. II, 4 p. 1105 b 21: λέγω δὲ πάθη — οὐλως οἵτις ἥδονη ἡ λύπη.

3) Poet. XXIV, 2 p. 1459 b 14: ἡ μὲν Ἰλιάς ἀπλοῦ καὶ παθητικόν.

4) Ibid.: ἡ δὲ Ὀδύσσεια πεπλεγμένην, ἀναγνώριστις γάρ διέλου καὶ ἡθική.

Quae si recte sunt disputata, dubitari non poterit, quin Aristoteles verbis „τοσαῦτα γὰρ καὶ τὰ μέρη ἐλέγθη” hanc subiectam esse voluerit sententiam: nam tot (i. e. eo numero, ex quo quattuor formae existant) partes quoque tragoeiae (vel mythi) dictae sunt. In eandem fere breviloquentiam incurrimus in Phys. ausc. III, 1 p. 201 a 8, ubi haec habes: κινήσεως καὶ μεταβολῆς ἔστιν εἰδὴ τοσαῦτα δύσα τοῦ ὄντος (cf. ib. V, 1 p. 225 a 7 et 34 sqq.), i. e. tot sunt motus et mutationis formae, quot sunt species ipsius quod est, vel categoriarum. At non decem motus formas enumerat, sed tantum tres. Hoc igitur dicit: tot sunt motus et mutationis species, δύσα τοῦ ὄντος, exceptis illis categoriis, secundum quas κινήσεις omnino fieri non potest.

Quae dictionis insolentia si cui offensioni sit, is Aristotelem meminerit, ut sagacem omnium fere disciplinarum et artium exploratorem, nonnullarum inventorem summumque perfectorem, quem peculiare quoddam ac proprium loquendi genus, quo nihil aliud nisi res verbis adaequare studet, induxisse, tum concisa ac nervosa usum esse brevitate, quae et in ceteris eius scriptis et in hoc praelestrem libello satis frequentatur. Quae quidem breviloquentia tantum abest, ut vulgaris istius negligentiae crimen incurrat, ut licentia quaedam habenda sit summo philosopho concessa, qui beatissima ingenii libertate et celeritate praeditus scribendique impatiens paucissimis verbis plurimum complectatur sententiae, ut saepe magis querendum sit quid dicere voluerit, quam quid dixerit. Hanc autem orationis Aristoteleae indolem ac proprietatem nunc quidem nolo illustrare exemplis, quum alio loco eandem rem tractare in animo sit.

Itaque hic pedem sistamus, quoniam id quod nobis propositum erat, ut partium, quae Aristoteles in libri exordio μέρα dixit, et numerum et naturam pervesigaremus, absolvisse nobis videmur. Quare περὶ τῶν μορίων i. e. τῶν εἰδῶν καὶ τῶν μερῶν, καὶ πόσα καὶ τι διάφέρει — εἰρήσθω τοσαῦτα.